

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

Caput V. Curationem sistens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

## C A P U T V.

*Curacionem sistens.*

## §. I.

**H**isce scopis adimplendis, aptam ut nanciscamur præsidiorum materiam, quid ex ordinariis artis medicæ promptuariis in rem nostram facere possit, absque ulteriori mora (siquidem & hoc in affectu principis est obstandum) nunc dispiciemus. Primum autem curam nostram ad se vocat Parulis: hæc ante omnia recte dijudicanda, & a quovis levi gingivæ tumore, qui sponte recedit, nec ad suppurationem tendit discernenda est: ubi autem cognita, præmissis Universalibus, prius repellentibus utendum: quo pertinet *Foresti* remedium, decoctum cochleariæ, beccabungæ, malicorii & aluminis, quibus infinitos se curasse ait; quantumvis etiam de cochlearia discutiens & attenuans quid accedere, si tamen non evaporat, videatur: His nihil juvantibus, emollientibus tentanda. Quia autem non omnia omnibus, nec quævis medicamenta gingivis conveniunt, præ ceteris hic ficus commendamus, ut emolliens præstans, & quod tam secure admoveri his quam commode potest; Et vero, quanta sit hujus, vilioris licet, remediï efficacia, ex sola *historia Wepferiana cap 3. §. 10.* a nobis recensita potest patere, cui substitui, ejusque locum etiam implere possunt quævis emollientia & discutientia, quibus tumor vel solvatur, vel suppuret. Commendat *Aëtius* pitisanæ succum, lini feminis decoctum, aquam mulsam, sed quæ nimis mollis curatio videtur. Sed nec efficacius emollientibus solis diu fidendum, sed discutientia nobiliora addenda, salviam, mentham, polium montanum Jenense, quod stringit simul, & similia. Si nihil his proficias, cunctandum non est, verum ad ferrum properandum. A pure enim diutius detento nihil certius expectandum est, quam ut erosio periosteo, subjectum os cariosum reddatur, & fistulæ sæpe immedicabiles consequantur. Hinc nonnulli totam volunt excindendam: quod necessum est, si maligni, & cancrofi serpentisque subesse appareat; alias autem apertio sufficit, *Ægineta* docente, qui subinde scalpello, quo vena secatur, ipsam dumtaxat punctam & pure vacuato, conlanuisse vidit. Post sectionem vino colluendum os, & decocto hordei, florum rosarum, balaustrorum cum melle rosato, addito syrupo cochleariæ vel alio antiscorbutico mundandum ulcus, quod sæpe in simplicioribus sufficit: si vero fordidum ulcus fiat, vulnerariis, balsamicis, putredini resistentibus agen-



agendum est. Quem in finem non inepta erit compositio quam *Celsus* laudat VI. 13. & describit *cap. preced. 11.* *Græcis ανθραξ* vocata, quod interpres *Aetii* vertit, *Id quod floridum vocatur*, ex croco, myrrha, alumine, galla, rosæ foliis. Addi potest Aloës succus, malicorium. sanguis Draconis, thus, mastiche; quæ vel sicca adhibenda inspergendaque sunt, vel, quod vult *Celsus*, cum melle rosato illinenda: mitius est alumen ustum, quod sine morfu siccatur, contrahit fortius chalcitis, (sory, ) de quibus *Caneparius lib. de atramentis* consulendus est ) aut chalcanthum, cujus etiam ochra, quam terram *Θ-li* dulcem vocant conducibilis est. Nux Mosch. quoque ejusque succus expressus, quem balsamum vocant minori tamen copia, vel bals. Peruvian. addendus commode pro re nata veniet, præsertim si putredinis serpentis suspicio sit. Quæ si sub initio statim incidat, potius in orbem tota Parulis refecanda erit, ut modo innuimus, quam apertura res committenda: amant enim magis, ) verba *Aetii* sunt ) excisionem gingivarum abscessus, simpliciter enim incisi, in fistulam proficiunt: Quod & de his, & leviter apertis imprimis intelligendum, in quibus pus diutius hærens, cuniculos agere subitus potest: quare larga apertura saltem securior erit; qualem etiam commendat chirurgorum *Primicerius P. de Marchetis*, de hoc ipso affectu nostro conceptis agens verbis: dignus qui hic legatur; ubi etiam monet sedulo, ne suppurationem horum tumorum expectemus, sed ante eam statim longa incisione eos incidamus, idque tum propria, tum aliena experientia esse confirmatum, factaque sectione & evacuato concluso sanguine absque ulla medicamentorum ope sola saliva naturam sectionem sanare testatur: cessante quarta post horæ parte dolore. Quod consilium; quamvis improbare minime possim, neque tamen perpetuo & necessario sequendum esse existimaverim. Sane in nostris, sectiones mirum quantum abhorrentibus, semper id non licet, nec non aliquando suppurationem consequi licet, ut ex jam dictis patet: Claris verbis ad nos *Wepserus* in literis: *ficu, aut foliis albæ non raro abscessus rumpitur, si tumor buccam versus spectet, si diu nocturne imposita maneat; si vero versus palatum vergat, tardius sola collutione aperitur, ut plerumque cultello falcato ad evitandum gravius malum, & auferendum dolorem superficiem lacerare debuerim: quæ Doctissimi Viri verba eo lubentius apposui, quod simul, ubi emollientia locum habeant, & quando incisione sit opus, ex illis disci possit. Quod si neglecta fuerit in principio curatio, aut lymphæ malignitate cancer vel fistula inducatur, illius quidem remedium non esse expectandum, lætæ hæcenus historię medicorum firmiter persuadent, itaque solis palliativis & mitigantibus agendum est. Ad fistulæ autem curationem, facta incisione, os cariosum scalpendum, radendum, & si abscessio facta sit, festuca eximendæ, & reliqua, quæ in iis observari debent, recte curanda sunt, quod ad nos jam non pertinet. Quod si propter loci conditionem situmque partium fieri isthæc non possunt, consolandus est æger, novit enim*





enim modo laudatus *Senex* ab ejusmodi abscessibus fistulas in maxilla superiore sine molestia per plurimos annos toleratas, nullo inde sequente alio malo: in quo longe hi feliciores sunt illis, quibus in cancrum Parulis degenerat, his enim nulla spes vitæ diutinæ & sine dolore fruendi relicta est. Sane non hoc tantum, sed illud etiam observari & moneri hic opportunum est, ut alias in partibus glandulosis & humidæ temperiei, sic omnium maxime in ore suppurationem abscessuum non semper, immo raro tuto expectari posse; impedit enim perpetuus lymphæ affluxus & separatio, puris perfecti generationem, cui non nisi in illis partibus locus relinquitur, quæ quietum illud & sincerum servant foventque, modica siccitate & calore gaudentes. Cæterum in hac, si in externa gingivarum parte sit, cavendum sedulo, ne cum bucca coeat in unum, quod vidisse se Parulidem ab imperito chirurgo male curatam, in qua caro non modo supercreverit, sed cum adverso etiam buccarum musculo proflus coaluerit, testetur in *def. Med. lit. II. Gorræus*.

## §. I I.

Hæc de Parulide: nunc ad Epulidem etiam accedo, cui plus operæ est impendendum, quod longe gravissima nonnunquam inveniatur, & admodum rebellis. Quæ sequentibus potissimum comprehenditur Indicationibus: ut futurus humorum acrim, serosorum pariter ac biliosorum copiosior affluxus ad partem affectam prohibeatur; porro ne ibidem excrementa talis in majorem assurgat molem, gingivæ flaccidæ, tumidæ ac cruentæ per siccantia & abstergentia adstringendæ. Exulceratæ vero absorbentibus & mundificantibus ac adstringentibus consolidandæ, habito semper respectu ad corporis constitutionem. Denique si difficulter cedat hoc malum, ad *καθαριστικά*, sectiones & unctiones, fortes item arctasque ligaturas tandem confugiendum. Præsidiorum vero materiam & apparatus ad id muneris efficaciter præstandum, e triplici Æsculapii fonte haurienda depromimus: nimirum chirurgico, Pharmaceutico ac demum Diætetico (quem sub calcem hujus Dissertationis adjiciemus singulosque consueta methodo ac serie operiemus.

## §. I I I.

*Fons chirurgicus*, confirmatæ non modo, verum etiam incipienti Epulidi multum prospicit, in hac enim præter *V. S.* quæ in plethorico corpore negligi non debet, uti vix generosius hac possidet remedium chirurgica, ita quoque eam nobis hic in limine quasi offert, & vel in brachio vel in pede, quin & derivandi simul (uti loqui amamus) causâ sub lingua, raninas videlicet aperiendo, administrari potest, *vid. adh. l. D. Sennert. in Praxi l. 2. part. 1. c. 16. M. Sebiz. in Sp. M. Pr. p. 2. sect.*



sect. 4. c. 9. Hæmorrhoides interdum prodesse, adeoque si assuetis suppressantur, aperiendas, si quis urgeat, non refragabimur; cum & sic derivari possit humor: præsertim si verum sit, harum apertionem omni Phlebotomiæ præferendam esse, ut censet *Timæus à Guldengklee l. 3. cas. 34.* Imprimis vero *Vesicatoria*, ubi pariter humor ejusmodi copiosus acris manifeste versus gingivas ruere aut depluere videtur; locum habent, sed non tam commode cervici, uti hactenus communiter factum est, quam pone aures applicita adhibentur. Porro etiam *fonticuli*, in brachio excitati, dictos ejusmodi humores gingivis magnopere insidiantes avellunt atque intercipiunt. Nec nunquam *setaceum* potest esse idoneum: sicque primæ indicationi, prohibendi nimirum ulteriorem affluxum ad partem affectam copiosorum humorum eductione ex hoc fonte satisfecisse pro viribus existimamus, inferius §. 5. intercalato prius fonte pharmaceutico, pluribus circa consummatam Epulidem, quæ potentiora ex chirurgico fonte sibi vindicet subsidia, mentem nostram aperturi.

## § I V.

Progredimur itaque ad *Fontem Pharmaceuticum*, eo minus negligendum, quod etiam perfectam aliquando Epulidem, satque manifestam citra openi manus, solis curatam medicamentis ipsimet novimus; itemque apud alios similia exempla prostant, tumque non nisi evacuato prius corpore, chirurgiæ locus relinquatur. Ob educendos humores peccantes, qui plerumque biliosi, serosi, acres deprehenduntur, universalia hæc præmittere omnino convenit; siquidem varia nobis obfert prædictus fons *purgantia*, quæ quid in quavis feri peccantis abundantia prodesse possint, prolixè ostendit *Piso lib. in id conscripto.* Collineant autem ad hunc scopum Lenientia potius & per *ἐπιχρᾶσιν* educentia, quam quæ *δραστικῶς* & cum vehementia purgant: commendaverim itaque decocta Laxativa, varia passulas & pruna purgantia: pilulas cephalicas vulgo dictas, bolos Laxativos, potiunculas, ex. gr. Viennens. *Mannagetta*, & varios pulveres purgantes de quibus *M. Sebiz. in Sp. M. Pr. l. f. all. Th. Willis. in pharm. Rat. P. Morell. l. de form. rem. c. nott. G. Blasii, Costerus* aliique plures consulantur. *Vomitiva* plane hinc exulare videntur, meritoque omitti, cum partem affectam magis irritent & dolores exacerbent: Magis autem conducent *Diaphoretica* & *Diuretica*, quippe quæ sanguinis Massam (quod summe necessarium puto) puriorem reddunt, & pro varia cribrorum suorum configuratione noxiâ foras eliminant: curandi etenim eandem rationem, quæ in ceteris inflammationibus obvenit, suadent *Sennertus, Jons-tonus* aliique.

## § V.





Præmissa debita dispositionis morbosæ internæ, adeoque προηγυμένης malum foventis curatione, ipsa epulis idoneis remediis aggredienda est, quod, ut rite fiat, cum, quæ affectum fovet causâ, tum & mos ipsius ac indoles respicienda sunt. Si ex Parulide ac simplici gingivarum ulcere exurgit, tunc etiam leviora remedia officium implent: sic *Omnib. Ferrarius de A. M. Inf. l. 3. c. 30.* in infantibus epulidem hoc curat: ℞. amyli ʒij. ▽. rosar. ʒj. pulv. tragacanth. ʒj. M. His caro leniter fricetur; extra vero commendat medullam panis triticeï cum lacte pro epithemate, & lentes coctas ad masticandum exhibet, ex ipsisque lentibus excorticatis fieri posse cataplasma circa maxillas apponendum existimat; verum nos qualemcumque tumorem gingivarum his quidem obtemperare, aut veram epulidem tam invalidis remediis vix cedere arbitramur, & hunc auctorem, (quod & aliis evenit) varia vocabuli acceptione & latitudine fuisse deceptum. Dandum interim est aliquid ætati, in qua nec fortiora locum habent, nec acrimonia humorum tanta esse potest, ut illis indigeat. Itaque bolus armena, sangv. Dracon. ▽a sigill. santal. rubrum, mallix, thus, Lacca & Myrrha hic expectationem possunt implere; in adultis vero fortioribus res tentanda, & si simplex quidem sit carnis excrescentia, iis, quæ sine morsu siccant, ut Oïne C. C. & ebore ustis, aloë, sale torrefacto, gallis tritis, ossibus sepix, quæ valde commendat ex antiquis *Guil. de Saliceto cap. 75.* ex modernis *M. Sebiz. Sp. M. Pr. l. all. M. Ettmüller in Schröd. diluc. Zoolog. p. 197.* Malicorium & Galbanum addit *Vidus Vidius Galenum imitans l. 4. de T. Val. c. 8.* Adhiberi etiam ❄iacum, corall. rubra & thus in pollinem redacta suadet *Trincavell. l. d.* Maxime vero conveniet ΑΨΗΡΑ illa ex *Celso* supra memorata, & cujus etiam meminit *Scrib. Largus LXI. cap. XII.* his additis verbis: *his omnibus rebus tuisis, cretis, arido medicamento uti oportet per pinnam, etiam ad παρυλιδας & ἐπυλιδας, id est, ubi ex transverso gingiva suppuravit, aut tonsillarum tumorem magnum, ut digito pressus fricentur, vel ubi super extremum molarem increverit gingiva.* Quibus ultimis error *Fallopïi* ostenditur, supra a nobis taxatus, quo Epulidem & gingivarum incrementum nimium idem esse arbitratus est: Antheram vero ad similia commendavit etiam ipse *Celsus*. Quod si quis liquida malit, huc quadrare possunt quæ habent *L. Jaccetus in Praxi part. I c. 29.* & *Franc. Feynus. Pract. Med. l. 2. cap. 41.* Non sine exiguo commodo in principio hujus morbi adhibui Tincturam laccæ, Δæ Japonicæ, seu catechu affusam, quam *Hadr. a Mysicht in armam. f. 2. p. 46.* descriptam nobis tradit; cujus solo usu Epulidem incipientem bene curatam ipsemet novi: Aliam præterea Tram Laccæ a *B. D. Michaëlis* olim paratam, multoque usu comprobata videre est ap. *Ettmüller. l. d.* sine dubio hic quoque proficua, cum in aliis gingivarum vitiis eam præstantissimam idem Auctor expertus sit: Tram hancce quam magni fecit quoque



que Jac. Barnerius ejusdem D. D. Michaëlis alter clariss. discipulus, hujusque virtutes mire deprædicat F. Deckers in not. ad Prax. Brabett. p. 147. seqq. ad cuius ductum potest etiam misceri cum Tram aquileg. — cochleariæ, aut similibus. Egregium quoque est liniment. Hartmanni ad hos affectus, quod describit in Praxi Chymiatri. p. 123. cui non incommode myrrha addenda venit ad imitationem D. Semerti in Praxi l. 2. Plures ejusmodi formulæ vario concinnatæ modo legi possunt apud laudatos autores.

## VI.

Quod si prædicta remedia efficaciam suam ob mali contumaciam non exserant, nec iisdem debellari possit, ulterius procedendum est ad Chirurgicas operationes, quæ variæ sunt. Primo loco commemorabo fortes & arctas ligaturas, si quidem ita formatæ & situatæ fuerint excrecentes carnes, ut ligari possint, monente id M. Sebiz in Sp. M. Pr. l. c. & Schmiz. in Comp. M. Pr. c. not. Rumpf. lit. T. quitamdiu filo indies constringendo, donec decidat, curari scribit. Modum satis dilucide tradit Ambr. Pareus oper. Chir. l. 7. c. 4. eumque revulsionis modum esse ait: nimirum duplici filo vincitur, & yincta constringetur quousque decidat: ubi deciderit, locus inurendus caustico fistula incluso, vel Æ vel °. Si ea industria, ne vicinæ partes sanæ contingantur. Quod si pendula sit talis caruncula, tunc seta porcina vel filo duplici de cauda equina sumto vinciri potest, donec marcescat. Conf. Arn. Weichb. thes. pharm. l. d. In exemplum iterum adjungam novam Wefferi Nostri observationem: ante plures annos cum Badam Argoviae transfrem, Nobilis Matrona sexagenaria major me vocavit, ac in medio maxille inferioris antèius ostendit tumorem rotundum, densa membrana tectum, notabilis magnitudinis, nam diameter erat 3iij. altitudo 3ij. erat: loquelam viriabat, masticationem non penitus impediabat, quia non à crasso pediculo pendens mobilis erat antrorsum, inter masticandum retrocedebat: sensim crevit, & per annum ad hanc molem pervenit: ob pediculi gracilitatem, illum filo sericeo prope gingivam ligavi: ligaturam nescio ob quam causam alius medicus improbarit, ac tumorem °. caryoph. illinivit, sine ullo vel fructu vel damno: Thermarum usum continuavit eoque absoluto domum profecta est: Domi Veterinario cuidam in sua arte non imperito, non diu post adventum monstravit tumorem, ille accuratam ejus explorationem simulans, ungue pollicis trudendo prope gingivam laceravit pediculum, tumorque in os recidit, ut integritam explodere potuerit; secuta est ingens hæmorrhagia, quam veterinarius, sanguinem sistentibus destitutus, sivit: cessavit tandem sua sponte: debilitabatur quidem, verum alimentis boni succi & facili coctionis datis, vires sensim recuperavit & aliquot annis supervixit citra recidivam. Si vero ligaturæ nulla sit opportunitas, ad sectionem accedendum, cujus itidem varius est modus P. Sorbait M. Pr. l. c. forcipibus seu uncis apprehensam,

Tom. II.

T t

rescū-





rescindendam esse vult, & cauterisandam: quem modum etiam recenset, approbat, & in Uxore sua expertus est utilem *P. Forestus supra cit. obs. l. 14. 16.* uterque autem didicerat ex Aetio, qui Epulidem, si post medicamenta adhibita adhuc moram trahat, forcipe arreptam, tenui scalpello aut ensiculo parvo jubet excindere. *Celsus l. 6. c. 13. Quod si major,* inquit, *is tumor est, commodius totus exciditur.* Paulus vossella aut hamulo elevatam praescindit, & hic quidem modus Epulidis tollendae est undique tutissimus atque optimus. Post sectionem duo praestanda sunt, primum constringentibus sanguinis fluxus inhibendus, & abstergentibus vulnus mundandum est, secundum, ne repululet malum. sedulo & quantum fieri potest cavendum: Priori utrique indicationi satisfacit *Pauli ratio*, dum post abscissionem vino, aut decocto hordei comm. & fl. ros. rubr. c. melle rosat. os ac gingivas colluere jubet. *Celsus* ait, pure exempto, si levis plaga sit, satis esse ore calidam aquam continere, si major, extrinsecus fovere lenticulae cremore: ex quo loco forte *Ferrarius* suum illum modum, quem antea recensuimus, adornavit. Idem *Celsus* mandere ligustrum oportere, succumque illum ore continere praecipit: ergo etiam hoc experimentum ex eo in ceterorum libros meavit. Alii post sectionem illam celebratam os cum decocto myrrhae & paucis sale colluunt, quibus pro cuiusvis arbitrio facillime alia quoque addi possunt. Post excisionem *P. Aegineta* suadet etiam ustionem ferro candente: quae utique laudabilis est, si putredo simul adfuerit, *vid. ad h. l. Forest. l. jam. d. Sic Pareus l. d.* inquit; Nisi inusseris, malum semper reverti solet. Idem ustione multos ad pristinam reduxit sanitatem: *Conf. Joh. Schenck. a Graeffenb. Obs. M. l. 1. de ging. obs. p. 197. Placentinus chir. l. 1. c. 20.* ferris  $\Delta$  itis incidentibus hancce superfluum in gingivis carnem 4. vicibus removit; quale exemplum & nos supra recensuimus non unum; quamvis & haec saepe frustra adhibeatur, quod accidit cum primis, ubi vel os cariosum vel cancrosum dispositio subest, in qua neque ferro, neque medicamentis neque igne quicquam obtinetur, sed omnis cura atque industria medicorum frustranea est. Dente corrupto aut fracto vel aliter vitiato osse, ubi incidit Epulidem renasci, locus aperiendus, dens eximendus est, testa ossis si qua abscellit, recidenda, si quid vitiosum est, radendum, tum ulcus, ut alias solet fieri, occludendum est.

## §. VII.

Haec ita secundum Artis Leges fieri debent, quamvis non semper optatum finem iis assequamur; nonnunquam enim incisionem excipit nullis remediis sistenda, hincque lethalis haemorrhagia: cuius rei notabile refert exemplum *Zacut. Lusit. l. 1. Pr. adm. obs. 87.* Non tamen his ab operatione deterreri se patiatur cordatus chirurgus, ut *Platerus* fecit, qui hanc metuens, cum non necesse putaverit auferri, retinuit; plerumque enim &



omnino necessum est eam excindi, & a tali hæmorrhagia nullum periculum metuendum est: Attamen, quia difficulter sectionem nostrates admittunt, & a ferro & igne nescio, qua inani persuasione, mirifice abhorrent; antequam ad extrema hæc accedas, cathæreticis prius (si modo Excrescentiæ natura id permittat) res tentari poterit: qualia sunt ex levioribus quidem chalcitis seu  $\Theta$ . ustum, tart. ustus, sory, ærugo, vel per se vel cum æquali pondere gallæ aut  $O$ . usti, quæ quidem jure & experti commendant veteres Græci, item *M. Sebiz. in Sp. M. Pr. l. all. Arn. Weickard. thes. pharm. l. 4. G. Walther. in Sylv. Med. lit. G.* quibus accensendus est etiam lapis medicamentosus *Crollii*. Ubi tardius consumitur, exedentia necessario apponi suadet *Sennert. in Praxi l. d.* quale est ærugo vel per se, vel cum æq. p. gallar. probe autem hic attendendum, ne æger salivam deglutiat; aut denique  $\nabla$  a viridis ex  $\Theta$  is, pauco auripigmento  $O$  & quibusdam vulnerariis, addito melle in  $\nabla$  am infus. & decoctis hic commode adhiberi possunt, quo affricte gingivæ à luxurie, flacciditate, & putredine defendantur, exempli loco sit vel  $\nabla$ . virid. *Hartman. vel.  $\nabla$ . virid. Pluteri*, cujus descriptio in fine obs. ejus prostat. Fortius agunt lapis infernalis,  $\text{♀}$  ~ atus, aqua fortis, oleum  $\Theta$ -li & his similia. Si successus respondeat expectationi, ulcus mundandum iis, quæ simul reliquias mali possent extinguere, ex quibus sunt unguent. apostol. & efficacius Ægyptiacum vel fuscum *Fel. Würtzii*, addito melle rosato & pulveribus, pro re nata, usurpanda. Huic scopo, quæ ulterius inserviant, vide sis apud *Sennert. in Praxi l. c. Forest. obs. Med.  $\text{E}$  Arn. Weickard. l. all.* aliosque. Antequam hunc locum relinquamus, meminisse juvat *Scribon. Largi*, qui in hoc casu sandaracham nobis commendat, quæ quidem Græcis & proxime seqq. seculorum Medicis arsenicum rubrum vulgo putatur: uti Arabibus Sandaracha est gummi juniperinum. Unde mirari subit *Johan. Rhodium* virum supra modum doctum, hanc ipsam Arab. Sandaracham fuisse commendatam, existimare, cum *Largus* noster longe Arabibus omnibus sit antiquior, utpote Tiberii Cæsaris coætaneus: inductus autem fuit sine dubio, quod auripigmentum seu arsenicum rubrum nimis periculosum existimaret, *Plinio* jam docente *lib. 12. c. 26. summam ejus dotem esse septicam*: & alias vero est notum, quam imprudenter arsenicum etiam in sanis carnibus exedendis, imperiti nonnulli adhibeant, unde & ego ab eo abstinere potius suaserim, quam periculosum experi mentum facere; quamvis & *Dioscor. l. 5. c. 122.* dicat prodesse ad narium orisque ulcera: purgare enim ac sistere, *Celsus* etiam *lib. 5. c. 5.* vulnera purgare affirmet. Iis igitur, quæ modo laudavimus, aut similibus frustra adhibitis, aut natura epulidis exclusis (neque enim omnes hæc ferre, sed quaedam iis valde exasperari cum *Wepfero* supra notavimus) ad ferri auxilium intrepide accedendum est.

## §. VIII.

His tandem etiam *Diatæ* subnectenda foret: sed eam ipse morbus ordinat

T t 2 &





& præferibit: quæ enim maxime hic vitanda sunt acria, falsa, acida, ne ipsæ morbus admittit, cum in oris cavo exquisitissimo sensu præditis partibus incumbat hæreatque. Alvum vero sequirem laxativis idoneis subinde esse excitandam, supra est monitum, & quilibet prudens sponte intelligit: reliqua etiam pro incidentium ratione facile perspicit. Ad præservandum vero ab hoc malo, utile erit cum sanguini, tum dentibus & gingivis sedulo proficere, quorum prius per bonos mores, vitata omni luxuria & evitatis acrioribus, crassioribus & qui scorbutis alias ministrant, obtineri potest; hoc autem, si quis munditiæ studiosus, dentes à fordibus, gingivas à laxitate dentificiis, orisque collutionibus subinde custodiat.

Atque hæc sunt, quæ pro ingenii tenuitate publico eruditorum examini sistere hac vice licuit, Deum T. O. M. supplex venerans, ut hocce à me elaboratum specimen in Divini Sui Nominis Gloriam, & multorum ægrotantium salutem mihi feliciter vertat; Si forte Tuo, B. L. exquisito iudicio non ubique satis fecero, imbecillitatem meam, ut interpreteris benigne rogitò, melioraque me docere ne detrectes, cum nec detrectem ipse doceri. His itaque themati nostro quod præter expectationem in tantum exerevit, colophonem impone: sit

Μόνα τῷ Θεῷ Δόξα!

F I N I S.



DIS





XLVI

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,

DE

HERNIA CEREBRI,

*Quam pro Doctoratu*

Consequendo palam tuebatur

J. FRID. CHRIST. CORVINUS

WESTERBUGENSIS

Argentorati 23 Septembris anno 1749.

T t 3

